

(n) Medici-  
na refor-  
mata c. 4.

8  
§. 7. Henningus Scheunemannus (n) anginae ortum spiritus mercuriali præcipitato adscribit. Si, inquit, spiritus mercurialis præcipitatus meningas peneret, maniam, phrenesin, typhomaniam & paraphrenesin suscitatur: si dimidiam capitis partem infra cutim feriat, hemicraniam efficit: si fortiter se membranulis inserat, cutaneum imprimis dolorem, nempe cephalæam, clavum, galeam: si leviter tantum attingat, cephalalgiam: &c. si laryngem & fauces subeat, fit angina, squinantia, synanche, cynanche, paracynanche.

§. 8. Verum enim verò quamvis hæc ita speciosè à Scheunemanno proferantur, nihilominus tamen cum veritate non concordant. Quemadmodum enim principiorum chemicorum hypotheses vanæ sunt & fictitiæ, quod satis accuratè demonstrat Celebratissimus Medicus ac Chemicus, Nobilissimus & Excellentissimus Dn. D. Guernerus Rolfsincius, Dominus, Præceptor, Patronus & Hospes meus omni observantiæ cultu æternum devenerandus, in enucleatissimo novo Tractatu, qui inscribitur *Chimia in artis formam redacta, disputatione primâ, cap. 18. & 19*: ita quoque infirmo admodum nituntur talo ex iisdem deductæ morborum causæ & origines.

§. 9. Faber loco supra citato causam hujus mali rejicit in summam excrementi malignitatem, quod non simplex sit calidum & humidum, sed arsenicali veneno præditum, & quod semper malignam & pestilentem febrem sequatur angina. Hinc Galenicis hallucinari asserit, qui se vidisse anginam sine febre affirmant, cum tunc potius adfuerit columellæ quædam inflammatio, aut tonsillarum tumor.

§. 10. Nec hic desunt, quæ castigationem incurrunt, quod enim à Fabro accusatur summa excrementi malignitas in genere in omnibus anginis, in eo sanè error crassus committitur. Nam, quamvis nonnunquam etiam malignæ & epidemiæ homines infestent anginae, tamen negari non potest, sæpissimè quoque easdem excitari à sanguine puro, si in corpore abundet, & ab humoribus malignam qualitatem minimè obtinentibus, ut ita non semper, prout vult dictus Autor, adsit summa excrementi, seu vitiosorum succorum

ma-